



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 48. Si valor rei vel fructuum fuerit varius intra tempus, quo sunt erepta, vel consumpta, secundum quem valorem sit restituendum[um].

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

fas, tum quia dolus non debet illi patrocinari, tum etiam quia sic meliorando fecit injuriam damnosam, quam non potest reparare, nisi restituendo rem non deductis expensis, ergo ad hoc tenetur: putatque *Sanch. n. 145.*, quamvis dominus postea sit solvendo, tamen non teneri refundere expensas, sed oppositum videtur probabilius cum *Navarra & Petsch. p. 577.*, quia compensatum est illi totum damnum, uti suppono, videtur autem iniquum, ut melioramentum habeat gratis & cum damno alterius, uti n. 226. dictum est.

§. 26. Compensatio pro expensis deduci debet ex fructibus perceptis, quamvis hi consumpti sint, & possessor, etiam bonæ fidei, non sit ex his factus ditior, quia quò plures fructus percepit, eò minùs censetur de suo expendisse pro re domini, recepit enim fructus perceptos, non aliter ac si dominus aliunde dedisset illi æquivalens pro his expensis, quod ipse dilapidasset, alioquin non dilapidaturus, nisi recepisset, unde quòd ex illis non sit factus ditior, sibi imputet, re ipsa enim accepit fructus, qui erant compensatio pro expensis, ita *Petsch. supra.*

Q. 48. Si valor rei vel fructuum fuerit varius intra tempus, quo sunt erepta & consumpta, secundum quem valorem sit restituendum. R. Non debet attendi præcisè ad valorem, qui fuit, sed ad damnum, quod domino illatum est & compensari debet: ut autem hoc damnum taxari possit, probabilius est attendi debere ad tempus, quo iniquus detentor rem consumpsit, & quo à domino fuisset consumenda vel distrahenda, ita *Med. Vasq. Mol. Rebell. Turr. alii que cum Lugo d. 18. n. 121.*

&

& in re consentit *Dicast. de Restit. d. 2. n. 29.* Ratio est, quia si reparetur damnata, quod domino causatum est, redit æqualitas, & tantundem est, ac si nihil fuisset ereptum vel detentum, ergo satisficit sic restituendo: ut tamen hoc melius intelligatur, addenda sunt aliqua: quod autem dicam de re, intelligendum est etiam de fructibus, quando hi restitui debent.

231 §. 1. Valor rei potest variari, vel intrinsecè vel extrinsecè: intrinsecè variatur, si res in se fiat vilior aut melior, sic pullus equinus, dum est juvenis, est in se vilior, cùm adolevit, est in se melior, cùm senescit, iterum fit in se vilior. Extrinsecè variatur, si res in se manens eadem, jam pluris jam minoris æstimetur, v. g. propter copiam vel raritatem ejusmodi rerum, propter multitudinem vel paucitatem emptorum; & sic fieri potest, ut idem triticum, quod in Januario valuit tribus, valeat in Augusto quatuor, in Octobri duobus aureis.

232 §. 2. Non semper sufficit restituere valorem, quem res habebat eo tempore, quo dominus eam consumpsisset vel alienasset, est communis cum *7lls. t. 4. d. 3. n. 152.* contra *Bonac. de Restit. d. 1. q. 3. p. 11. n. 9.*, cujus sententiam *Rebell. & Dian.* vocant probabilem, *Lugo* autem n. 119. negat esse probabilem: Ratio est, quia aliàs furatus pullum equinum, quem postea factum equum vendidit 40. aureis, satisfaceret restituendo 10. aureos, si dominus eum pullum adhuc juvenem fuisset venditurus 10. aureis, hoc autem dici non potest, nam postea factus equus valuit 40. aureis, & fur tum injustè detinuit & vendidit, ergo ex hac injusta usurpatione tenebatur hunc valorem

rem

rem restituere, quàm primùm habuit, ergo etiam tenetur postea. *Nec obstat*, quòd dominus pro illo tantùm habuisset 10. aureos, adeoque videatur passus damnum tantùm 10. aureorum, nam contrà est, quòd quando equus creverat ad valorem 40. aureorum, equus erat res domini, ergo 40. aurei spectabant ad dominum, quibus cum privetur dominus, utique damnificatur in toto illo valore rei suæ. Admittunt hæc nobiscum *Laym.* l. 3. t. 2. c. 4. n. 6. *Less.* l. 2. c. 12. n. 105. & *Dicaft.* n. 37. in rebus, quarum valor intrinsicè creverat, sed si tantùm extrinsicè crevisset, v. g. si fur in Augusto consumpsisset triticum, cujus valor tum creverat ad 4. aureos, & dominus non fuisset consumpturus nisi in Octobri, quo valor decrevisset usque ad 2. aureos, putant non tenere restituere nisi 2., quia incrementum extrinsicum non erat aliquid domini, nec propriè spectans ad rem, sed consistebat in extrinseca æstimatione hominum, quæ postea periit sine culpa furis, ergo dominus non patitur damnum ratione rei suæ, neque habet jus ad pretium rei suæ, nisi quatenus opus est ad refarciendum damnũ, nec fur ex culpa sua reportat commodum, sed ex diverso eventu rerum. Hanc sententiam dicit *Petsch.* p. 223. esse valde probabilem & in praxi tutam, tenet tamen oppositam cum *Lugo*, quam *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 7. n. 13. vocat verissimam, ratio est, quia etiam extrinsecus valor spectabat ad dominum, & licet esset physicè extrinsecus rei, erat tamen moraliter intrinsicus, cum faceret pluris vendibilem, ergo damnum est domino, quòd per injuriam furis hoc valore privatus sit.

233 §. 3. Non est semper obligatio restituendi summum valorem, quem res habuit intermedio tempore, quo erepta & à fure est consumpta, v. g. si pullus equinus tempore, quo fur eripuit, valebat 10.; factus equus, 40.; postmodum, cum senuerat, à fure venditus sit 10. aureis, fieri potest, ut fur non teneatur restituere nisi 10. aureos, ita *Lug. n. 120. Jlls. n. 160. contra Nav. Gabr. Silv. Angel. Malder. & alios*, quorum sententiam *Laym. & Lug.* vocant probabilem. Ratio nostra est, quia si Dominus etiam fuisset conservaturus illum equum usque ad illud senium, ita ut postea non valuisset ipsi nisi 10. aureis, non videtur ipsi causatum damnum nisi 10. aureorum, quamvis enim perierit valor medi tempore, tamen perit sine culpa furis, eodem modo periturus, si equus apud dominum mansisset, ergo dominus non est à culpa vel dilatione furis passus hoc damnum, ergo satisfacit fur, si restituat equum secundum hunc ultimum valorem, & compenset damna ac lucra totius temporis.

234 §. 4. Si dominus fuisset rem suam venditurus intermedio tempore, quo summum valorem habebat, aut si ideo tali summo pretio debuerit aliam emere, patet furem teneri restituere summum illum valorem, quia in tantum damnificavit dominum: quod si eo tempore intermedio dominus ipsemet fuisset consumpturus aut donaturus amico, adhuc tenetur fur valorem hujus intermedi tempore restituere, quia fuit injusta causa, ne dominus re suâ eo tempore uteretur, ergo debet reddere tantum, quantum valebat ille usus, nec satisfacit reddendo nunc rem similem, ita *Lugo n. 123. Tamb. n. 9. Petsch.*

Persch. p. 221. *Fls.* n. 164. contra *Vasq.* & *Turr.* E
 contra si dominus eodem tempore rem suam
 consumpturus vel alienaturus erat, quo fur con-
 sumpsit, hic tenetur tantum restituere, quanti-
 tum valebat, quia dominus plus non est damni-
 ficatus, quam in valore, qui tum erat. Ad quid te-
 neatur, qui distulit restitutionem ex causa, si inte-
 rea fuerit varius rei valor, dicetur n. 252.

§. 5. Si dubitetur, quanti res fuisset valitura, 235
 an apud furem sit deteriorata, an à domino fuisset
 ad aliud tempus servanda, &c. videri possunt
 dicenda n. 576.

§. 6. Si quis hodie occidat pullum equinum 236
 alterius, qui post aliquot annos valuisset 40. au-
 reis, *Arrag. Sotus, Bann. & Salon* dicunt restitu-
 endos esse 40. aureos, sed communis & vera
 sententia est cum *Molin. Less. d. 19. Dicast.* n. 117.
 non esse obligationem restituendi, nisi quantum
 pullus iudicio prudentum spectatis circumstan-
 tiis nunc valebat, quia sic datur æquale, & repa-
 ratur damnum: limitat rectè *Lug.* n. 81., si do-
 minus pretio isto potuerit comparare similem,
 si enim non potuit, injustè patitur damnum,
 quod ex carentia illius pulli provenit: & idem est
 de aliis rebus frugiferis, v. g. si tenera arbor præ-
 scindatur, nec possit in locum substitui alia, si
 quis ovem furetur, quæ protulisset multos a-
 gnos, nec potuerit alia similis haberi. Et secun-
 dum jam dicta explicari debet *S. Th.* opusc. 73. c.
 20. dicens, si res ablata ex sui natura possunt secun-
 dum naturam temporis augeri & crescere in pretio,
 tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum re-
 rum, quod valiturae erant secundum naturam rei &

temporis, in tempore, quo vult restituere eas: intellige, si dominus aliunde non patiatur ideo damnum.

237 Q. 49. Ad quid teneatur, qui succedit possessori male fidei. R. §. 1. Si huic succedat tanquam hæres immediatus, & rem ab hoc acceptam consumat, etiam bonâ fide, neque inde sit factus ditior, tenetur restituere ex injusta acceptione, non sua sed antecessoris, quem repræsentat, & cum quo per fictionem juris facit unam personam, ideoque in ejus obligationem succedit, hinc tenetur restituere rem & fructus, item compensare damna & lucra cessantia ex mala fide antecessoris orta, quantum vires hæreditatis patiuntur, uti probabilius tenet *Lugo* d. 17. n. 79. Quod probabiliter etiam verum est de hæredibus mediatis, uti dicitur n. 490. Si tamen possedissent bonâ fide ortâ ex alio titulo quàm hæreditatis, jam mala fides antecessoris esset purgata, neque amplius censeretur causa damnorum consequentium; unde tantum tenerentur ex re accepta à tempore hujus bonæ fidei.

238 §. 2. Si bonâ fide succedat, non ut hæres, sed alio nomine, v. g. ut legatarius, donatarius, emptor, non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, quia non facit unam cum antecessore personam, neque censeretur succedere in vitis personalibus, quale est mala fides. Idem valet de Superiore Religioso, qui bonâ fide succedit antecessori malæ fidei, non enim succedit propriè ut hæres, sed uterque est tantum administrator, & posterior succedit vi electionis vel nominationis, ergo bonæ fidei ipsius non nocet mala fides antecessoris. Vide dicenda n. 490. & 491.

Q. 50.